

PRÆFATIO, CUM DISSERT. DE LXX. HEBD. DANIELIS.

num, quo spicas discipuli confregerunt, ejusmodi fuisse, ut in eo geminus Adar esset, primus & secundus, intelligere est, si necis, ex Evangelicæ historiæ brevi contextu, quem Vir Eruditus subjunxit; calculoque Judaico quem intexit, Tractatui De supremo Christi Paschate. Itaque & de septuaginta hebdomadibus, & de sabbato δὲ σαββατων deinceps file: & ab erudito homine læcessendo, si quid novi afferat, abstinere. Sic pace frueris optima. Parisiis, die 111. Idus Augusti, 1699.

HAbes hic, Vir Nobilissime atque Erudite, quæ adversus P. Lamium pro defendenda interpretatione septuaginta hebdomadum jam dudum paraveram. Sed hæc suppressenda occultandaque postea censei, ob eam causam quam dixi: quoniam scripsisse illum adver-

sum me de hoc argumento nemo profusus ad me referret. Fervidiore paulo fortassis scribendi genere utam me fuisse dices: nec diffiteor: & hæc altera premenda hujus lucubrationis causa fuit; cum satis non sit etiamnum otii mihi ad eam leniendam & perpoliendam. At quanto illa vehementior foret, si quam ille insolenter Verbum Dei Deum hand alium prædicat, quam quem Athei ipsi ultro agnoscant, Janfenium alioque similes secutus, quos descripsit in suo illo Commentario; tam libere demonstrari istud a me tempora sinerent. Sed de hac istius impietate dicemus Deo dante alias. Tu interim Deum Opt. Max. ora, ut *exsurgat* aliquando deum, & *dispenset* omnes inimici ejus. Annum felicem tibi, Reverende admodum & Nobilissime Vir, ex animo adprecor. Parisiis, die 2. Januarii, anno MDCCL.

TYPOGRAPHUS LECTORI.

Hanc R. Parisi HARDUINI Dissertationem de septuaginta hebdomadibus Danielis, quam & Præfationis loco huic operi præfigendam esse duximus, a Viro plurimum venerando Canonico Augustano, cum aliis multis ejus-

dem R. Parisi ad eundem epistolis accepimus: ut ex subiecta ejusdem Venerandi Viri ad nos scripta epistola, Optime Lector, intelliges.

Spectatissimo Viro

D. GEORGIO GALLET.

NON modica me læticia affecit rumor haulus ex epistolis collocutorum meorum, constanter me docentium, quod Editionibus incumbas librorum, quos in omni literaturæ genere clarissime Vir cum veteres, tum recentes elucubravit. Nec rumori soli fidem habuissim, nisi ad manus meas Editio ipsa quorundam delata fuisset. In primis autem lætor, quod Typis tuis sane elegantibus juris publici nuper feceris præstantissima Opera Theologica Patris DIONYSII PETAVII: proh! quanti Viri! Immo magnum oppido lætitiæ nostræ auctarium accessit, ut porro audivi, quod te accingas ad Opus eximium *De Doctrina Temporum* ejusdem scriptoris altera luce donandum: necnon ad vulganda præclarissima Opera Patris JOANNIS HARDUINI, ex eadem Societate; quæ profecto utramque paginam facere videntur; digna proin, quibus orbis litteratus applaudat. Et cum mentionem hujus eximii Viri, amici mei honoratissimi, facio; ecce operæ pretium esse duxi, rogare te amice atque etiam hortari, ut epistolas ipsas, quas præ manibus habeo, ad me jam dudum perscriptas, & omnium eruditorum calculo luce publica dignissimas, cum eas hæcenus cum multis litteratis communicaverim, in eam Editionem, quam meditaris, inferas. Argumenta earum sunt hæc: Nova interpretatio, De Baptismo pro mortuis: De quinque

questionibus in sacra scripturæ quædam loca, quæ præsertim pertinent ad illustrandam Chronologiam Veteris Testamenti: De difficillimis capitibus duobus Apocalypseos, decimo tertio & decimo septimo: De duabus postremis Apostoli Joannis epistolis: fusior præterea explicatio vaticinii de septuaginta hebdomadibus, quam est in supradicta Chronologia; aliaque similia. Rosos (ut aiunt) hæc omnes sapiunt unguis; fat diu inter mea litteraria cimelia sanctissime adservata. Nolui autem eas orbi literato diutius invidere. Proin auctor tibi maxime sum, ut eas operibus hujus Auctoris nobilissimi adjungere ne graveris. Omnibus certe eruditissimam præstabis egregiam, tibi que eos maximo opere devincies. Hæc itaque epistolæ accuratissime descriptas ad te in præsentiarum submittere volui: spe fretus, te margaritas in eadem concha natas, eadem honoris & lucis usura beaturum. Vale. Dabam vi. Aprilis, ære Christianæ MDCCL. Augustæ Vindelicorum.

*Spectatissima Dominationis tuæ
persuadissus,*

HIERONYMUS AMBROSII LANGUENMANTEL,
Canonici Augustani.

ILLUSTRIS-



ILLUSTRISSIMO,
AC REVERENDISSIMO D.
ARMANDO JOANNI
S. R. E.
CARDINALI
DE RICHELIEU.

Res est una sanctissima, sacratissimaque tempus, Illustrissime Cardinalis. Nam & originem ducit à celo; cujus ex motu & conversione potissimum oritur: & excellentem divini numinis in plerisque similitudinem gerit. Ut enim Deus omnium est notissimus idem, & ignotissimus: quem & esse nemo non intelligit hominum; & cujusmodi sit nulla potest cogitatio consequi: sic tempus aliquod esse sentiunt omnes: quid sit autem, ne sapientissimi quidem capere animo, nedum verbis explicare possunt. Rectè igitur Augustinus libro Confessionum undecimo, postquam multa de natura temporis acutè subtiliterque disseruit, ad extremum nescire se quid sit tempus fatetur quinto & vicesimo capite, cum ita decimo quarto scripsisset: *Quid ergo est tempus? Si nemo ex me quaerat, scio. si quaerenti explicare velim, nescio.* Ad hæc similiter ac Deus, universa continet tempus; rebus omnibus infunditur: abest nusquam: præest omnibus: cuncta moderatur, ac mutat: sua cuique vel agendi, vel vivendi, vel omnino consistendi spatia prescribit. Hinc veteres illi fictis fabulis non solum Deos inter adscribere tempus: sed etiam fatorem ac parentem ceterorum esse docuerunt. Ex quo factum illud interpretor, uti regendi gubernandique temporis munus apud omnes populos soli quondam sacerdotes ac Pontifices obierint. ut iisdem communis naturæ suffragio & sacrorum cultus, & rei omnium sanctissima, temporis procuratio concessa sit. Præsertim cum inter omnes ritus, quibus caeleste numen colitur, non minima sit temporis, hoc est feriarum ac festorum dierum, religio.

Igitur apud Babylonios, Chaldei: apud Indos, Brachmanes: apud Ægyptios, Hierophantæ: apud Romanos, Pontifices, apud Gallos nostrates, Druidæ: apud Judæos, Sacerdotes popularibus Fastis ordinandis, summo jure præserunt. Romæ quidem præ ceteris tam infinita penes hunc ordinem potestas illa fuit. iidem ut arbitrio suo producerent, aut contraherent annorum spatia, & eam labem pedeterent consciscerent, quam Julius Cæsar eadem Pontificii magistratus auctoritate compressit. Non minor temporis Christianorum moribus, & institutis sanctitatis honos est habitus. Quod cum antiquioris Ecclesiæ persuadet usus: tum recentis ac nostræ propemodum memoria & ætatis exemplum. Quis enim graves illas & diuturnas de Paschate dissensiones, quibus tot annis Ecclesiæ jactata est, aut existit nescit olim, aut aliter didicit, quam & civilium emendatione temporum, & Sacerdotum arbitrio resinctas? Quam quidem Fallorum corruptelam, ac perniciem vultutate corroboratam, & in dies graffantem Gregorius decimus-tertius Pontifex Maximus

pari felicitate, ac Christiani orbis approbatione sustulit. Age num illud est obscurum de temporis religione populorum omnium iudicium, quod Annales nulli admodum præterquam Sacerdotes attigerunt? De iis loquor Annalibus, qui publica fide perscribantur. Quibus commentandis, in lucemque propagandis, eadem à me commemoratæ nationes sui quæque generis Sacerdotes, sic tamquam sacrorum cæremoniis, præesse voluerunt.

Hujus Temporis propriam aliquam esse scientiam, atque ab reliquis distinctam, ut magnitudinis Geometriam, numerorum Arithmeticam; sonorum Musicam; naturalium corporum Physicam; hand scio quam plerisque facile persuaserim. Sed esse tamen nonnullam vincit eadem ratio, quæ superiores illas, adeoque ceteras invicem secerit. Etenim quicquid illud est, quod contemplationi nostræ præcipua quæpiam ratione sic obijcit, ut ex causis, principisque cognoscatur, id, ut Philosophis placet, sui generis scientiam efficit. At est ejusmodi Tempus: quod sic à nobis considerari potest, quatenus ad humanos accommodatur usus, & populares rationes inspicitur. Erit ergo peculiaris, & ab aliis separata temporum scientia.

Hanc nos incredibili multorum annorum studio ac labore pervestigatam, & consecratam Opere isto complexi sumus: quod sub Illustrissimæ amplitudinis tuæ nomine justis de causis, ac propè necessariis apparere voluimus. Nam cum rei sacrosanctæ, temporis inquisitionem, tractationemque continerent: & hoc ipsum non vulgari, communique modo, sed subtili, & ad intelligendum perdifficili tradatur: cumque vel reipsa, vel, ut dicam modestius, opinione nostra, nunc primum in absolute scientiæ redacta formam, quasi nova quædam disciplina prodeat: nec dubitetur, quin adversus obtrectatores, atque amulos perpetua sit illi parata contentio: cujusnam potius, quam tuam (Illustriss. Card.) ad fidem, ac tutelam applicari debuisset? Is enim quaerendus, opinor, & asciscendus patronus fuit: primum minime profanus homo; sed sacra, & hujus argumenti simili dignitate præditus, tum acerrimo idem ingenio: qui capere ista posset, ac de iis, causâ veluti cognitâ, judicaret. Præterea qui & novum hunc scientiæ foetum adversus invidiam auctoritate confirmaret sua, & amplitudine potentia tutum illius novitatis præsidium posset afferre. Hæc qui in altero simul universa, quam in te, majora reperire poterit, dubitet sanè cur tibi potissimum inscripserim: imo & temeritatem accuset meam, & prudentiam desideret: quod principem virum in gravissimis totius regni sustinendis negotiis occupatissimum interpellare non sim veritus. Sin ea, quæ dixi, in te uno summa sunt. si, ut de dignitate, ac potentia modò sileam, ingenii in

EPISTOLA.

te vis est tanta, quantam maximis in rebus gerendis, & folerter explicandis quotidie cernimus. si cum in omni genere à pueritia versatus sis non harum modò communium, sed reconditissimarum artium, non minus earum te modò tractatio, & consuetudo delectat; habet idoneam rationem quisquis hac me curiosius exquirat, vel consilii in te deligendo mei, vel ad opem sperandam fiducia: sed privatam, & huius actionis, ac propositi propriam. Ad hanc igitur altera communis accedat, & officii lege constituta, quod ex ea Societate sim, quæ se tibi cum aliis semper benevolentæ nomine obstrictam meminit: tum nuper summis suis temporibus recreatam, per te modò sospitem, & incolumem esse proficitur. cuius etiam defensorem innocentæ, fauorem otii ac securitatis fore persæpe es pollicitus. Quamobrem ut & veteris in nos studii, recentis vetò huius beneficii gratiam Amplitudini tuæ referrem aliquam: & illius tibi promissionis memoriam refrica-

rem, utriusque monumentum hoc in Opere statuendum, ac tibi consecrandum putavi.

Patere itaque (Card. Illustriss.) dum tu pacificandis temporibus nostris necessariam, & assiduum huic regno, Christianissimòque Principi operam adhibes, cum reliquas pacis alumnas artes, tum hanc ipsam vel instauratam vigiliis nostris, vel repurgatam Temporum scientiam sub tutela benignitatis adolescere tuæ: ut eidem, cui per te propagabitur, perpetuitati temporis Ill. A. T. nomen ac decus commendet. Vale. Lutetia Parisiorum. Anno Domini millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, decimo quarto Cal. April.

Illustriss. Ampli. T.

Deditissimus,
DIONYSIUS PETAVIUS
Societ. Jesu Presbyter.

FACULTAS R. P. PROVINCIALIS
Societatis Jesu in Provincia Francia.

IOANNES FILLÆUS Præpositus Provincialis in Provincia Francia, juxta Privilegium eidem Societati à Regibus Christianissimis Henrico III, 10 Maii 1583, Henrico Magno 20 Decembris 1606, & Ludovico XIII nunc regnante, 14 Februarii, 1611 concessum, quo Bibliopoli omnibus prohibetur, ne libros ab eisdem Societatis hominibus conscriptos absque Præpositorum ipsius consensu imprimant: Sebastianio Cramoisy Bibliopola Jurato, & Civi Parisiensi permitto, ut librum, cui titulus est, *De Doctrina Temporum, auctore P. Dionysio Petavio ejusdem Societatis*, gravium doctorumque nostri Ordinis virorum judicio approbatum, typis excudi curet, excusumque dividat ad decennium. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & Officii nostri sigillo munitas dedimus. Aureliis 22 Octobris 1626.

IOANNES FILLÆUS.



PROLEGOMENA
IN LIBROS
DE
DOCTRINA TEMPORUM.

In quibus de scientia ipsius natura, subjecto, partibus ac methodo disputatur.

ΠΡΟΛΟΓΙΑ.

Aristot.
1^a. Physic.
c. 2111.

VETERUM plerique sapientissimum rerum omnium Tempus appellarunt: quidam è contrario stupidissimum, indoctissimumque esse dixerunt. Ex his priores illos, ut sapientiam adscriberent, id maxime commovit, quòd tempus universa contineat, adeoque præteritarum rerum memoriam conservet, ex quibus oritur sapientia. Quibus autem expers idem scientiæ, indoctumque visum est, propterea sic opinati sunt, quòd nulla nisi in tempore, & ex tempore accedere possit oblivio, quæ est inimica doctriinæ. Utri verius existiment non est propositi mei hoc loco statuerem. Quòd unum volo, id mihi concessuros opinor omnes: qui hanc abs tempore velut inscitia rubiginem, & oblivionis absterferit, ab hoc & suum illi restitutum iri sapientiæ splendorem; & eundem de rerum universitate, quæ tota subest tempori, ac præsertim de hominum genere præclarè meritarum, cuius propria est temporis intelligentia, quam brutis animantibus natura denegavit. Hanc adeo magnificam, & præstantem opportunitatem hæc ipsa pollicetur ars, quam Opere isto profitemur, quæque merito *Temporum doctrina*, vel *scientia* nominatur. Eam si quis cum illa, quæ vulgò Chronologia dicitur, confundendam existimet, ne is plurimum opinione fallatur. ac danda sanè est à nobis opera, ut antequam ad legenda nostra eruditus se Lector conferat, eum illic ponat errorem, & quæ disciplinæ huius natura sit, & conditio penitus addiscat. Tum demum novam quandam esse scientiam intelliget, atque ab reliquis, quæ hæcenus in usu feruntur, proprio quodam jure distinctam. Quæ si minus hic instituta primùm: (qua de re paulò post agetur:) certè repurgata, quo ad licet, atque absoluta, confectaque videri poterit. agnitam quidem, & longo intervallo suo doctrinas inter loco constitutam fuisse nemo dissidebit.

Hoc ut melius, intelligentiusque declaratur, omisso Præfationum more, quæ continent, & perpetua oratione ferè constant, Philosophos hoc loco potius, maximeque Dialecticos, imitabimur; qui propriis disciplinæ suæ questionibus certa de illius natura, genere, subjecto, principiis, ac proprietate capita præfigunt, quæ Prolegomena & Progymnasmata nominantur. Sic nos itidem de novæ, uti mox apparebit, ac pulcherrimæ nostræ scientiæ materia, genere, ac ceteris ejusmodi, candidum Lectorem separatim, ac propriis capitibus edocebimus. quòd ipsum tamen minimè arido, ut illic, exilique disputandi genere, sed elegantiore, & ut in hac palestra, nitidiorè, ac copiosiore præstabitur.

CAPUT I.

De subjecto Scientiæ temporum, quòd est tempus, & quam ratione tractetur.

DUPLEX ab iisdem illis, quos imitari volumus, artificibus disciplinæ cuiusvis objectum, (ita enim nominant) vel subjectum ponitur. Nam alterum institutum est; & ut materies illa, quæ cum forma composita, complexaque naturam perficit, latè fuscum est, atque aliena circumscriptione terminatum. unde & *materiale* dicitur. Alterum certa modificatione, formaque comprehenditur, quòd ideo *formale* in scholis appellatur. Hæc si ad nostram scientiam transferas, vaga illa, communique materia, tempus est, quòd & Operis inscriptio demonstrat. Id autem pluribus modis considerare licet. Aut enim naturam illius, generaliterque causas, & principia; atque ipsam, ut sic dicam, ejus essentiam inquirimus. quòd totum naturali scientiæ, quam Physicam vocant, attributum est. Aut ut motum, ex quibus præcipue tempus oritur, mensura est, ac regula: celestium videlicet orbium, atque siderum. Ita ad Astrologiam pertinet. Aut ut brevitate ac longitudine partium inciditur, & agitationum, vel sonorum dispari intervallo temperatur. Sic ad Rhythmicen, vel Musicam potissimum refertur. Reliqua est quarta, postremaque ratio, atque ut à superioribus diversa, ita fundanda, constitutendaque scientiæ non minus idonea: cum in tempore id spectatur unum, quantum, ad civilem humani generis usum, tractationemque conformari potest. Etenim nulla tam inculta, tamque barbara gens unquam existit, quæ non partitione aliqua temporis, ac descriptione civilia sua intervalla digesserit. Nam & diurna Solis: & mensura Lunæ spatia, & annuas utriusque conversiones cum simplicibus, tum invicem implicatis, & permixtis barbari pariter, & humanitate perpolitati homines intellexerunt; & utrique, prout vel celestium rerum scientia majore præditi, vel observatione longiori, experientiaque perdocti sunt; ita præclariorem, & exquisitiorem anni formam sibi pepererunt. Quæ res admonet certam scientiam inde potuisse confici, cum notatis iis, quæ in popularium Factorum usu commodè ceciderant, vel contra perturbationis aliquid attulerant, eorumque causis animadvertis, eadem ipsa verbis explicata, generibus comprehensa, distributa partibus, via & ratione tradita fuissent. Ex quibus ordinandorum deinde civilium temporum propria cuiusque formæ regulæ, ac præcepta ducantur.

Ac quibus olim incitis excitata primùm peritia quædam digerendorum temporum sensum ad perfectam se corroboravit artem; imò verò scientiæ nomen non vulgari aliqua ratione, sed subtili, ac Peripatetica definitione meruerit, ex Censorino, atque Gemino, ac temporum denique nostrorum memoria, paullulum hic attingam.

PROLEGOMENA

in civili qualibet anni forma consequens sit, aut dissen- tantem vider, & utriusque causam, atque originem in- tuetur. Velut in anno Lunari cur post dies 6939, horis aliquot excurrentibus, hoc est XIX ventibus annis Julianis, iidem in orbem cycli, Neomeniaque redeant: idque quatenus accidat; & quanam antevertentibus, vel e contrario pessum recidentibus Noviluniis castiga- tio sit adhibenda. Cur in Juliana forma post annos cir- citer cxxiv, intercalaris supprimendus sit dies. Item in Aegyptiaco, & simplici, cur post annos mcccxcix Neomenia civilis ad eundem, a quo fuerat digressa, diem, toto anno peragrato referat sese. tum quemad- modum ad unumquodque civilis anni genus, quod ab Lunari, vel Solari descriptione distet, adjungi, impli- carique rationes alterius oporteat. Cetera ad eundem modum. quorum omnium causas, ut dictum est, *Sym- bolice*, planèque ad scientia morem explicat: usum inferioribus relinquit artibus. Quae numero duae ex hac scientia temporis efflorescunt. Harum altera *Computistica* vulgò dicitur, altera non minus trito, sed commo- diore vocabulo *Chronologia* nuncupatur. Hae sunt prin- cipis doctrinae velut administratae artes, ac famulae; sive instrumenta, quibus illa sese ad hominum utilitatem profundit.

Definitio Compu- tistica.

Ex his priorem ita definire possumus, ut sit Ars quam, five facultas ordinandorum ad civilem usum tem- porum, quae ex traditis sibi à superiore, ac magistra scientia principis canones, ac regulas conficit, qui- bus absolutum deinde operis habet effectum. Posterior ad hunc modum describitur: Chronologia ars est, quae certis notis, & iudiciis praeteritarum rerum memoriam suis temporibus assignat. Etenim nulla nisi praeteriti temporis ut historia, sic Chronologia potest esse. In quo tam à priore Computistica, quam ab ea, quae utramque continet, temporum scientia differt. Nam computandi ars non magis ad praeteritum, quam ad praesens, aut futurum pertinet, & administrandi per sese temporis nudas sine *Symbole* regulas praescribit: quarum ab superiore proximae causa, ac principia traduntur. Quam sanè *Χρονολογία* deinceps nominemus, ac definiamus ita si lubet, ut sit Scientia, quae temporis, ut ad usum transferri potest hominum, conditiones, ac proprietates inquirat.

Definitio Chrono- logia.

CAPUT IV.

De auctoribus, à quibus tradita, & explicata est scien- tia temporum: quam tamen non integram absoluerunt.

QUI Paschalis computi methodum, quam barba- ro, sed usitato vocabulo *Computistica* nomina- mus, eo, quem diximus, modo, hoc est *ἀπόδος*, non *ἀποδοτικῆς* tradiderint, neque quicquam praeter regu- las, & canones explicarint, innumerabiles his superio- ribus saeculis existierunt. Nam nulla ferè est hodie Mo- nachorum bibliotheca paullò vetustior, quae non libris istiusmodi referta sit. quòd tum ea floreret peritia maxi- mè, ac nemo, qui illius esset expertus, doctus habere- tur. Princeps apud Graecos hujus artis, quod quidem existet, S. Maximus martyr fuit, qui Heraclio imperan- te vixit. Cujus de Canonio Paschali satis magnum li- brum ex Vaticana Bibliotheca descriptum penes nos habemus. Latinorum antesignanus est Beda: qui ante nongentos annos floruit. ac tam hujus, quam illius ex commentariis infiniti deinde Computorum artifices pro- fluxerunt.

Eorum verò, qui Chronologias, annalesque libros ediderunt, cum praeteritis saeculis non minor, quam il- lorum copia fuit; tum hoc proximè lapsus istius generis Scriptorum majorem, quam dudum, ubertatem, ac vilitatem attulit. Verum priores uniusmodi ferè computi, Romani scilicet, ac nostri, nudas citra rationem, & *Συμβολικῶν* regulas complexi sunt. Neque ta- men desuerunt, qui rem altius evehent, & principia ipsa, causasque subtiliter explicarent. ut ante centum amplius annos Joannes Stoeherus Juingensis; Campa- nus; Paulus Pitavus Veronensis: & aetate nostra omnium accuratissimè Christophorus Clavius noster, qui Roma- ni Calendarii contextum omnem exquisita diligentia pertractavit.

Nam Paulus Middelburgensis Episcopus Forosem- proniensis, qui in eunte superiore saeculo existit, non inter Romani Computi, hoc est unius, ac singularis officii magistris referendus mihi videtur. Quippe Ju- daicum praeterea, & Aegyptiacum, atque Arabicum annum exposuit, ac de Lunarium in Romano cyclorum vario genere, & artificio rara quaedam ac recondita scripsit. Quamobrem plus ille quiddam usitata Kalendarii ordinandi peritia praestitit, atque ad universam, quam quaerimus, ac perfectam temporum doctrinam propius accessit. Verum cum duae sint illius partes, ex quibus totidem infimae artes, & facultates oriuntur; al- tera praetermissa, quae Chronologiam parit; in una tantummodo, cujus est Computistica fetus, elaboravit. nec de veris amborum siderum motibus, quatenus ad utramque necessarii sunt, aliquid assumpsit. quibus rem- otis, absolutae scientiae nomen, ac naturam non pars quidem ista consequi potest, quam unicam uberimè ille commentariis posteritati tradidit. Nam ad alteram partem, cui Chronologia subjuncta est, quantum ex- actorum motuum, ac Solis, & Lunae defectionum noti- cia conducit, id in posteriori Operis hujus volumine declarabitur.

Jam si ad perfectam, quam investigare studemus, Temporum scientiam ne illi quidem pervenerunt, qui in uno illo genere, minus quidem juncendo, sed ad demonstrandum certiore, via, & ratione versati sunt; quanto minus eodem aspirare Chronologis plerisque conceditur, qui Mathematicis in studiis, & Astrono- mia praesertim rudes, nec ullis discernendorum, ac di- gendorum temporum intelligentia praecitati, ac ne vulgari quidem illo computandorum Solis ac Lunae cy- clorum usu praediti, nuda, & simplici annorum succes- sione contenti sunt. Quibus tantum abest ut perfectae temporum scientiae nomen adscribam, ut ne Chrono- logiae quidem, quod usurpant, relinquendum censeam. Non enim Chronologus est divinator quilibet annorum, & confutor. sed, si ulla modò rei istius est ars; cujus- modi certè aliquam esse necesse est; is demum Chrono- logiae artifex erit, qui ex artis regulis quod ejus prop- rium est, ac peritia quadam efficiet; non temerè, vel alienis velleis rectam aliquando viam insitet. de qua re, institutoque Chronologiae proprius erit ad posteri- orem partem disputandi locus.

Nunc illud pergamus inquirere, quis illam, qualis est à nobis exposita, scientiam temporum ita compre- henderit, ut ad ejus abolitionem, & perfectionem pars nulla sit reliqua. Si quis autem ejusmodi haecenus est reperitus, is cum suo, tum multorum iudicio fuit Josephus Scaliger: quo nemo vehementius hoc in nego- tium incubuit. plura nemo, & copiosiora scripsit: nemo denique plenam totius doctrinae, certamque com- prehensionem majore sibi fiducia vindicavit. Ad hunc igitur deinceps convertenda est oratio, quo cum maxi- mum, ac perpetuum ferè susceptum est toto hoc in Ope- re certamen.

CAPUT V.

De Scaligero, ejusque libris de Emendatione temporum, & *Isagog. Canonibus*: quibus perfectam se temporum doctrinam comprehensisse falso credidit.

UT qui merces in recessu peregrinas, & exquisitas habent, earum brevem tabulam proscribere, & in propatulo collocare solent; sic opum illarum om- nium, quas in libris suis reconditas habere se putavit Scaliger, splendorem ac pretium titulo illo commendavit, quem in *Isagogiarum Canonum* fronte, hoc est velut officinae suae foribus affixit:

Ἐλθεῖν μαθητῶν, ἃ πανδοκίῃ παιδείας ἀμύνει ὁ μὴν εἰσὶν.

Nemo nisi liberalibus disciplinis, & omnigenis artibus initiatus accedat.

Est autem Canonum ille liber Operis de Emendatione Temporum quasi aditus quidam, & doctrinae totius ap- paratus: ut ad illos, sic tamquam regia, ac praeiorii alicujus ingressum, istius scientiae cupidus lector acce- dat.

Cetero- rum ap- probatio.

dat. Simile quiddam pro schola suae foribus inscripsisse Platonem ferunt. Sed is tamen commodiore, ac to- lerabiliorem auditoribus suis conditionem tulit. Id enim denunciavit unum, *ne quis ingredi vellet Mathe- maticarum artium rudis. μηδὲν ἀπειρημένος εἰσὶν αἰσίων*. At Scaliger non uno dumtaxat disciplinae genere contentus est: sed liberalibus, & ingenio dignis homine studiis, imò doctrinae penitus omnibus instruum esse jubet hominem illum, qui in adyta, & sacra disciplinae suae penetrare voluerit. Ex eo verò quam excellens, & im- mensa interioribus iis in libris doctrinae vis esse debeat, conjecturam facere possumus. Nam si ad istorum Ca- nonum, hoc est elementorum, rudimentorumque cog- nitionem, nemo nisi artibus initiatus omnibus admit- titur; quid de sanctioribus, & quasi ἀνοσιμαστοῖς libris cogitandum nobis est, quibus intima illius scientiae my- steria continentur? Nec verò aliter, quam titulo ipso praese tulit, iidem de libris, arteque sua perpetuo ju- dicavit. Innumera sunt, & ubique sparsa eulogia in Scaligeri libris eulogia, quibus utrumque magnificè praedicat, atque ad perfectissimam scientiam rem opera sua perducit esse demonstrat. Proponam ex iis de se Scaligeri testimonium unum, alterumve, quod in promptu nunc habebam.

Scaligeri de libris suis judi- cium.

Sub finem Prolegomenon ad *Isagogicos Canones*, post longam de oppugnationibus, ac reprehensionibus suis querelam, & infestationem, demum ita pronun- ciat. *Methodum autem in his rebus nemo speret se adipisci, nisi omnium exoticorum omnis generis scriptorum libros ver- saverit, & ex illorum assiduo tractatu aliquem usum mul- tiplicis doctrinae sibi comparaverit. Tum in caeca Prolego- menon eorumdem: Unusquisque autem poterit ex istis Canonibus methodum novam intrudere, augere, minuere, quod per me quidem faciant, licet. neque verò est quod stu- diosius ab illis contendam, modò ne quid in doctrina no- venit: quod cum quidam fecerint, magnum stultitiam, & insaniam professi sunt. Quemadmodum enim primus om- nium Architas Tarentinus Geometricis principis usus me- chanica elementa instituit: ita nos, quia aliter facere non potuimus, ἡρώων τοῦ ἀπὸ χρώων τοῖς γεωμετρικαῖς ἀγγα- γηαῖς δεχθῆναι ἡμεῖς δὲ βίβλους, primi temporum disciplinam Geometricis usi principis ad methodum redegitimus. Jam ad libros de Emendat. Temp. editionis posterioris inter cetera ita praefatus est. Ex nostris igitur disputationibus videmus quomodo Chronicon absolutissimum confici possit. Denique in Epistola nuncupatoria posterioris editionis de libris suis, & quidem prioris editionis, illius hoc existat elogium. *Obiter dicimus priorem illam editionem hujus aevi ingeniorum examen fuisse, ex qua non minus quid non possent, quam quod nollet scire, praestitit potuit. Non possunt ostendere, quis recentiorum ante nos hac tra- ctaverit, ut negent nos primos hoc argumentum invasisse: neque de quibus veteribus Scripturibus illa hausserimus, ne nostrum inventum esse videatur: aut ipsi se hausserunt pu- tant, ne ad hoc opera nostra indignant. Hae & familiae de libris suis, deque omni temporum doctrina Scaliger multis in locis repetit. quibus adjungenda sunt ea, quae ad certas ejusdem doctrinae particulas commendandas faciunt; cujusmodi sunt anni Attici, ac Graeci, nec non Periodorum Graecarum praeconia: quorum non- nulla initio libri primi Operis hujus attulimus.**

Cetero- rum ap- probatio.

Hoc Scaligeri de se, librisque suis iudicium fautores habuit aetate ista quam plurimos, non solum carumdem cum illo partium, sed etiam Catholicos: nec indoctos tantum, sed in omni artium genere, praestquam in isto, quod mirabantur, eruditos. Quem quidem so- lerti hominem ingenio praeditum, & in iis litteris, quas qui obtinent hodie Critici vocantur, hoc est Gram- maticis in studiis, ac singularum varietate & istiusmodi Scriptorum lectione cum primis exercitatum fuisse fate- dum est. Ac si se genere isto contineret; si ab iis, quo- rum erat ignarus, abstinere impetum animi sui posset, melius profecto vel existimationi suae, vel ceteris, quas elaboravit, artibus, vel posteritati consulere. Nunc acri vir ingenio, & infinitarum rerum avido, nullique, quam semel arripuerat, scientiae imparem se esse confi- dens, dum primas sibi in omnibus arrogare studet, ne in secundis quidem potuit, tertivse consistere.

Qua- tum in hac scien- tia per- tractanda

Quod ut illi in ceteris accidisse facile ejus amatores sua, vel aliorum teste memoria fatebuntur; sic in illa, quam tot libris exposuit, temporum scientia potuisse heri, vix, opinor, persuadebunt sibi etiam memoria

Pars I.

PROLEGOMENA

hominis inimici. Equidem cum ad haec studia mea me erroris voluntas, vel singularis potius Dei nutus impulisset; atque illius in libris operam ponere statuissem; sic ad eos paratus accesseram, quavis ut in alia re crederem, quam in hujus tractatione artis offensidisse Scaligerum: primum quem ca florere in his studiis approbatione ho- minum viderem, princeps ut ibidem consensu plurimo- rum haberetur, ac Deus: deinde quem tot annos, & etatem propemodum omnem hac in doctrina contrivisse cererem, acutum praesertim, & ingeniosum virum; de hoc ita persuasus veneram, ut in aliis ignorare ali- quid posset, in illis certè nihil esse, quod eum latuisset. Hoc enim puto mihi concedent omnes, cum varia disci- plinarum genera consecutus sit Scaliger, id unum ta- men adamasse praecunctis. quod cum persèpe testatus ipse sit, vel eo tacente, plura de hoc, quam de ullo alio genere, ab eodem edita monumenta declarent. Nam de Grammaticis Criticisque studiis, in quibus maxime viguit, paucos, eosque perbreves commenta- rios elucubavit. De hac verò disciplina temporum, deque Chronologicis rebus ingentia volumina conscrip- sit. Qui id ergo propè unum egisset in vita: qui in commentandis, investigandisque temporibus ad sene- ctutem usque perseverasset: qui fructum tam diuturni laboris omnem, & eruditionis istius speciem in illo de Emendatione temporum opere contulisset; quid aliud suspicaret, quam & auctorem ipsum in ejus rei, cui tantopere studuerat, scientia fuisse perfectum, & illos libros unicum ejusdem esse doctrinae, sanctissimumque sacrarium?

Verum incredibile dictum est, quantum in eo sim opi- nione mea falsus, quantumque labis illic, & contagio- nis offenderim. Non is sum, qui errare quempiam in tractandis litteris nefas existimem. Indignus essem non earum modò communionem, sed naturam insuper, & hu- manitatis ipsius, nisi quantumcumque doctorum homi- num erratis ignoscendum putarem. Sint ca modò tole- rabilia: sint pluribus admitta bonis: haeceant in ejus, qui peccaverit, opinione, vel scriptis; non in fraudem alios impellant: per eamque communionem ad litterarum dedecus pro inveterata Scriptoris auctoritate grassen- tur. pro erratis denique saltem habeantur, ut ignosci possit; ac venia, & excusatione, non approbatione, & publica laude digna censentur. De aliorum iudicio paulò post dicam. Memum ut, quod modò agitur, sim- pliciter ac paucis explicem: Illos ego libros: haec ipsa de scientia temporum ingentia monumenta innumeris, ac turpissimis omnis generis errorum maculis dieo esse resperia: omnem verò traditam in iis comprehensam- que doctrinam, quae quidem illius inventis nititur, falsam, minimèque coherentem, ac prorsus absurdam esse defendo. Hoc quatenus à me dicatur velim prudens le- ctor animadvertat. Non enim vana, commentitiarum dico que iis in libris utrumque traduntur omnia. E- tenim permutata istic aliena sunt, quae vel communi ex opinione sumpsit; vel ab aliis observata jam, & prodita suum in Opus, usumque transtulit: quae nos ab illa reprehensione secerimus. De iis ergo loquimur, quae privatim reperit ipse, ac communibus istis & alienis intexuit.

Scriptit de emendatione temporum ante annos pri- mum quadraginta Scaliger. atque ut paucissimi sunt, qui ad haec perferenda penitusque capienda studium horum applicent, impune publica ferè in admiratione ac laude volitavit. Cepit homines novitas ipsa primùm: tum in- credibilis inauditarum abstrusarumque rerum varietas, & copia quae sic ab illo referebantur, ac tanta fiducia promebantur, totidem ut oracula putares. Fuit enim, id quod norunt omnes, ut in fingendo, ac divinando praeceps Scaliger, sic in affirmando vehemens, ac vio- lentus. Itaque nihil ab eo non asseveranter, ac sine cun- ctatione pronuntiavit est iis de rebus; quas subinde damnans, ac rescindens, contraria omnia pari fiducia decrevit. Quod igitur animadvertere nonnisi periti disci- plinae illius pauci poterant, ceteri ne suspicabantur quidem, doctrinae superioris inanitate auctor ipse posteriori ejusdem operis editione coarguit. Etenim post annos ferè quindecim, libros de Emendatione tem- porum sic interpolatos, & refechos in lucem protulit, novus ut iste fetus, ac prioris dissimilis admodum vi- deretur. Non enim paucis dumtaxat, aut exiguis in rebus à superiore sententia descivit; sed in singulis ferè,

Dei- que Scal- igeri li- brorum editio.

maximeque præcipuis doctrinæ capitibus, diversa penitus, ac pugnantia defendit. Idem & in Canonibus Isagogicis majori ex parte postea fecit, & quidem ridicule. Cum enim Canones istos in eum se finem elaborasse profiteretur, uti doctrinæ, quam in libris de emendatione temporum exposuit, introductio, ac præparatio quedam esset; in his ipsis tamen pleraque eorum, quæ illic docuerat, funditus evertit.

Inconstantia Scaligeri.

Quam ego decretorum mutationem, & inconstantiam non modo non reprehenderem; sed laudarem etiam, si cum perspicue falsis, & absurdis vera, vel saltem veri similia compenari viderem. Nunc utrum in opinione sua poneret, nihil ad falsitatem interfuit: nisi quod ita sapè veterem sententiam corrigat, ut sint prioribus non bonis haud paullo deteriora sequentia. Sed eam dogmatum vanitatem diducere, ac convincere soli poterunt, qui in hisce disciplinis utemque versati fuerint. Quod autem ex eo consequens sit, quod ad institutæ orationem magis attinet, etiam rudes, imperitice discernent, nihil solida, veræque scientiæ tantæ dogmatum mobilitati, ac levitati subesse potuisse. Quocirca nos ab ea spe, quam titulo Operis ipso fecerat, perfedæ, ac sincerissimæ temporum disciplinæ ex his libris consequendæ, Scriptoris ipsius inconstantia, mutabilitatque deiecit. Ex quo nostrum eadem de re, doctrinæque commentandi consilium non solum probandum, sed etiam necessarium videtur. Hoc enim suscipimus, ut, quam nemo hætenus scientiam absolutam, & integram unum in corpus redegerit, ac ne distinctam quidem ab aliis, ac sui generis fortassis esse crediderit, eandem cum materia, & officio separatam esse doceremus à reliquis: tum omnibus suis partibus, numerisque constantem mandaremus his libris, quos de Doctrina temporum inscripsimus. Quorum deinceps methodum, ac partes, ut in Prolegomenis fieri consuevit, proximis capitibus exponam.

CAPUT VI

De operis ac doctrinæ partitione, qua duplex est. Prior igitur, qua est de divinis, & explicatur, ac de Scaligeri nonnulla.

QUEMADMODUM corporum in animantibus, sic artium dividendarum ratio potest insititæ duplex. Totidem enim partium in illis genera spectantur: quarum aliz certis definitis terminis; aliz invicem complexæ, ac per unumverf corpus pariter diffusæ, natura ramen & qualitate differunt. Prior divisio est in membra fieri dicitur: posterior est in membris, secundam qualitatem, vocetur. tametsi id est generalius nomen, sed aliud in promptu non erat. Est autem ejusmodi, ut si corporis partes alias duras, & solidas esse dicamus, ut ossa, ut cartilagine: alias molles, facileque cedentes, ut carnem. Item alias diffusentes ac liquidas appellemus; ut est sanguis, & humores reliqui: alias coherentes, & compactas; cuiusmodi caro est, ossa, nervi, & id genus alia. Ad hunc modum Operis nostri duplex est partitio. Harum prima rursus bifariam spectatur. Nam vel in tomos, vel in libros tribuitur. Posterior divisio est de divinis, aut officium appellari potest. Ea partem alteram facit divinis, alteram naturæ divinis. De prioribus postea de posteriore nunc agemus. Atque ut istædem à Philosophis non recedat oratio, quorum imitatione his in Prolegomenis pleraque tractantur: quemadmodum illi de quacumque questione disputare sic solent, ut primo contrarias opiniones, & earum firmamenta referant; tum explicant, affirmantque suas. Sic in unaquaque controversia primo loco falsas, vel minus probabiles quorundam sententias attulimus, quibus examinatis, & rejectis, quid contra atque illi sentiremus aperuimus. Itaque Scaligerianis declarandis, illustrandisque placitis prima ferè singularum questionum capita dicantur: in quibus opinio illius, & doctrina non minori fide, ac diligentia, quam facilitate describitur. Cur unum præ ceteris, quicum in hoc certamen venirent, Scaligerum deligam, ex iis, quæ capite superiori dicta sunt, præcipua causa deducitur. Quod enim ille de temporum scientia omnium uberrius, plenissimè scribere est aggressus, est alia omnia, quam quæ proposuerat, effecit, ac pro vera tem-

porum ratione sua nobis commenta, ac divinationes exposuit: tamen quod utcumque præcipua illius capita notavit; is mihi potissimum designandus fuit, quo cum iusto ac legitimo Marte contenderem.

Ac de libris quidem illis Emendationis temporum, de quæ tota Scaligeri doctrina inveteravit hæc opinio, rem unam ad intelligendum perdifficilem esse, & à nullo, vel paucissimis hætenus accuratè penititque perspectam. Hoc cum Scaliger ipse passim, & acerbè congerendo dicit: tum ejus fautores, admiratorisque Chronologi. Utrique porro causam hanc esse statuerunt, cur multorum iniquis iudiciis exagitata; auctor ipse, quoad vixit, eorumdem invidia lacessitus, vexatissime fuerit.

Calvisius certè, quem illustri præconio Scaliger ex obscuritate sua detractum in lucem hominum, ac notitiam afferuisse creditur, in Isagoge Chronologica præceptoris sui libros ita commendat. Hanc Chronologia rationem inter alios imprimis ostendit paucis adhuc annis Josephus Scaliger in opere suo multiplici solide evaditionis copia refero, & incomparabili ingenii solertis industria elaborato, quod inscriptum est Emendatione temporum, in quo quæcumque ad rationem temporum in quibusvis regni, & rebus publicis pertinent admirabili solertia eruit, & invictis argumentis demonstrat, eaque omnia adeo subtiliter perscrutatur, ut paucos habere videatur, qui ipsius sensum penitus assiquantur. Lectorem enim in historia antiquitatis, in mathematicis disciplinis, ac rebus astronomiacis non satis versatum facile rejicit, atque idèd multorum etiam iniqua experitur iudicia. Joannes Behmius ex eodem grege Scaligerianorum in Præfatione Chronologica Manuductionis libros eosdem aureos appellat, qui à multis carpuntur, & paucissimis intelliguntur. Eadem vox est Scaligerianorum omnium, atque consensio, ut tanta ad intelligendum difficultatis originem ad altissimam, reconditissimamque librorum istorum scientiam referant, cui percipiendæ idoneus esse nemo possit, qui non in Mathematicis, & Astronomicis imprimis artibus lucenter sciat: tum historice, & antiquitatis apprime sit peritus: ac denique, ut ad illud Scaligeri revertar, quod in fronte Isagogicorum Canonum posuit, ἐκ θεοῦ καὶ ἀποστόλων, ἡ μαθηματικὴ παιδεία ἰngenius disciplinis, atque ἑσ̄ ὅμοι ἐπιτελεῖται.

Quapropter ne quis in hac concertatione nostra querelæ huic, & exceptioni locus esse possit, duo quædam initio profitebor, ac præ me feram. Primum, sic illos à nobis intellectos esse libros, Scaligerianam quoque doctrinam ita comprehensam, & extricantam, ut ne Scaliger quidem ipse melius, ac certius intellexerit. Alterum: si ab communi, sinceriorique doctrina, qua cum inventa sua permiscuit, hæc ipsa Scaligeri commenta, & ambages, nurgæque referentur, quæ sola difficultatem, & obscuritatem afferunt, nihil in istis reconditum, ac non ex mediocri peritia depromptum, & vulgare contineri. Horum opinor, alterum nullis certioribus iudiciis, quam re ipsa, experimentoque persuaderi potest. Legant igitur, qui id periclitari cupient, capita illa nostra, quibus Scaligerianæ doctrinæ summam in unaquaque disputatione complectimur, & cum Scaligerianis ipsis conferant. tum demum sentiant quanto dilucidius à nobis, & brevius aliena, quam ab ipso sua sit explicata sententia.

Non sum ineptus adeo, ut si quid in ea cognitione præclarum, ac gloriosum inesse crederem, ad inde me aliquantò plus amarem, id de me prædicarem, ac mihi sumerem. Verum nulla profus in nugis istis capientis eruditio; neque profertendis esse gloriola potest. His quidem tricis, & ineptis absterfis, cetera non admodum retrusa sunt: sed ex communi rerum istarum intelligentia desumpta. Sunt enim omnia (ut de Mathematicis potissimum dicatur, & Astronomicis rebus, in quas præcipua vis obscuritatis incumbit) mediis Solis, Lunæque motibus, & eorum cyclis, ac Periodis comprehensa: quarum rerum vulgaris est, & pervagata scientia. Quamquam neque tria hæc, & quotidiana satis intellexit: ut in omnibus ferè libris Operis nostri, præsertim in quarto, & quinto demonstravimus: nec ad eorumdem arcana, summamque pervenit. cuiusmodi illa sunt, quæ in librum sextum conjecimus. Sed neque de veris siderum motibus, vel deliquis litteram attigit ullam: quorum ope destitutus Chronologus neque perfectam assequi per sese potest scientiam temporum, nec aliena

De libris Scaligeri quid valde sentiant.

Semina Scaligeriano um crinitum.

Quæ nota sit de his libris doctriinæ que Scaligeri profectio.

aliena fide, & auctoritate susceptam nova ab oppugnatione defendere. Quod magis equidem Scaligerum miror, qui non difficillimis in rebus tanto tempore, tamque assidue, ac cum omni animi contentione versatus, adeo infelicem diuturni illius laboris exitum habuerit. Dicit hoc enim sine ulla similitudine, aut invidia suspicione licet; ex quo inter homines excoli litterarum studia cœperunt, neminem ullo in genere disciplinarum exstitisse; qui tam immaniter, intolerabiliterque peccaverit. Multa multis excidere solent interdum, sed ii, ut in corpore, navi non ubique, nec continentes ac perpetui sunt. In Scaligerianis inventis, si unum, alterumve, vel tertium eximas satis commode dictum, universa labes occupavit. Quam si summam comprehendere libet, quatuor ad capita revocabimus.

Nam quædam temerè, ac sine certa probatione adducit in medium. quæ nos *μαθηματικῶν*, id est vaticinidicimus. Quædam ex male intellectis Veterum testimoniis colligit. quæ sunt *παρεξηγημένα*. Alia vitiosa ratiocinatione concludit: quæ sunt *παρεξηγημένα*. In aliis denique sibimet adversatur ipsi: quæ sunt *ἐναντιώματα*. Quorum omnium singillatim exempla proponere, nisi longior ne essem vererer: ac nisi id jam omnibus in libris, & in quaque disputatione fecissem. Hinc illa singulis præfixa libris, & eorumdem in fine conclusa Problemata, sive *περίηχητα*: quibus universa tam in Opere de Emendatione temporum editionis utriusque, quam in Isagogicis Canonibus explicata doctrina, quæ quidem Scaligeri propria sit, hoc est ad communem, & ab aliis traditam accesserit, præter paucissima quædam; vel commentitia, vel absurda, vel non cohærens sibi; vel minime esse probabilis ostenditur. Hætenus de parte doctrinæ, & Operis *ἀναγεννήθη*.

Reliqua est *κατασκευασμένη*, quæ per se patet, atque ideò de illa pauciora dicenda sunt. Hujus est, subtilis, convictiveque falsis, certa, vel probabilia ex principis artis ratiocinando conficere. Principiorum autem, quæ tam ad hanc scientiam, quam ad hujus administram Chronologiam spectant, genera sunt duo. Quædam sunt necessaria, & *ἀπαραίτητα*, quæ ex Mathematicis disciplinis mutuò petuntur. alia Scriptorum fide, ac testimoniis constant. quæ quò plura, constantioraque sunt, eò rem certiorum efficiunt. In illis proprie scientia: in istis ars & prudentia cernitur. Quamobrem illud est *κατασκευασμένη* partis proprium munus, videre quatenus affirmari aliquid, approbrique oporteat; ne vel minus, vel amplius id fiat, quam rei naturæ postulat. Ex quo plenus ingenii fidei, ac veritatis ille candor existit; dum quid in re, & opinione quoque certum, quid probabile, vel dubium sit, liberè agnoscimus, ac fatemur: non ex sola conjectura, aut libidine præjudicatis quecumque afferimus ad causam: neque vi, ac tyrannide potius, quam certa persuasione ad assentiendum impellimus. Cuiusmodi in Scaligero cum opinandi levitate violentiam, & *ἀναισθησ* hæpe reprehendimus, & in eandem ne incidere ipsi, operam omnem adhibuimus. Itaque cum in omnibus passim controversiis, tum in Chronologicis præsertim hoc saltem operæ pretium facere satis habuimus; ut si minus pro rerum obscuritate comperit, exploratque aliquid asserre possemus; dubia saltem vel opinabilia discernere: ad certis, demonstrationisque constantibus: nec plus unicuique firmitatis tribueremus, ac fidei, quam earum, quibus est innixa, probationum conditio pateret. Dixi de divisione Operis *κατὰ διώαμιν*, & officium. restat altera *κατὰ μέρη*, de qua capite proximo verba faciemus.

CAPUT VII

De altera Operis, ac doctrinæ divisione, qua est *κατὰ μέρη*, de quæ librorum prioris partis argumento.

PRIMA est partitionis, sive divisionis *κατὰ μέρη* hoc in Opere ratio, ut in Tomos: posterior ut in libros tribuatur. Tomi duo sunt. primus τὸ πρῶτον comprehendit. secundus τὸ ἐπὶ τῶν βιβλίων temporum. In illo disputantur ea, quæ ad artificiosum temporis contextum, vel *ὀψιμίαν* pertinent. qualis est illius partium, hoc est horarum, dierum, mensium, & utriusque sideris annorum tam per se, quam implicatorum invicem, conjun-

torumque descriptio. In his scientia ipsa præsertim temporum, & *Προφητικῶν* illa principia consistunt. Accedit & ex duabus scientiæ subjectis artibus prior, quam Computificam nominant. quæ ex solo hoc genere principiorum efflorescit. Alter tomus Chronologicæ arti dicitur: omnia ferè, quæ in *ἰστορίαις*, & intervallorum ratione controversa sunt, vel obscura complectitur.

Operis verò totius, quod quidem præter scientiam; duas illas, quas dixi, subjunctas artes continet; libri sunt duodecim. Tertiusdecimus posterioris opus artis, & *ἰστορικῶν*, quod est Chronicon, exhibet.

In priore Tomo libri sunt octo. Primus de anno I. Libet Græcarum civitatum cum simplici, tum in orbes ac periodos digesto sermone instituit. Hinc enim exorsus est Scaliger, & in ea sibi parte doctrinæ suæ vehementer placuit. Quamobrem nihil ei rei anteverendum duximus, ut studiosum lectorem ea dedoceres, quæ mortalibus hætenus omnibus sua ille auctoritate persuaserat. Ostensum est igitur, annum Græcum, & Atticum; ex auctorum voluntate, & instituto, lunarem fuisse: illam verò nescio quam simplicis anni formam, & ex eadem constat periodos, ac per omnes propemodum civitates à Scaligero distributas, vanum & absurdum hominis esse commentum. Secundus liber de anno II. Libet lunari dicitur: ac primùm exploso popularis anni, ac Prytanici discrimine, quod ex eadem officinā manaverat, Octæterides varii generis explicavit. tum Metonis enneadecaeteris: Periodos quoque Calippica, cum ejus methodo: Arabum ac Judæorum populares anni. quæ omnia Scaligerianis commentis infecta splendori suo restitimus. Exinde Christianorum veterum Paschales cyclos exposuimus. ubi primùm Quartaedecimanorum, ac Latinorum methodus exquisitè tradidit, quæ nec Scaligero fuit, nec est vulgò cognita. Canon item Hippolyti: Theophili, Cyrilli, Victorii, Dionysiique cycli. Quibus uberrima Romani anni veteris succedit enarratio: in quo Scaliger solenne suum obtinuit, ut commentis illum suis, ac divinationibus adpergeret.

Tertius liber majori ex parte *ἀνατολικῶν* est. In eo III. Libet novum quoddam & absolum figmentum evertitur anni Chaldaici, atque Persici; quos Scaliger in libro de emendat. Temp. tertio, & in Isagogicis Canonibus singulari extra ordinem capite fabricavit. Universè verò in anno Ægyptiaco simplici, & ut ita dicam, *ἀνατολικῶν*, ac retrò commente partim explanando, partim ex adscitis naniis extricando, liber iste consumitur. Quartus liber anno Solari tribuitur. quo in genere civilium principatum Julianus obtinet. Hujus ergo dispositio, & castigatio primo loco ponitur. Deinde paulatim ad Tropicum annum disputatio pervenit: postquam annum R. Addæ, ejusque Tekuphas ex Hebraeorum commentariis asseruimus. Ac prima nobis cura fuit, aperire quemadmodum Veteres Tropicum Solis annum, & *ἀνατολικῶν* pervelligare studuerint. quam in rem æquinoctiorum, Solstitiorumque *σημεῖα* adductæ sunt. Ex quibus certus Tropici anni modus eruitur, qui communis, & æquabilis nominari potest. præter quem exacti atque veri indagandi methodus ex Astronomicis fontibus declaratur. indidemque nonnihil à nobis innovata, sed exactissima Solaris motus demonstrata ratio est, quam in libro viii copiosius exequimur. Ad hæc celestis anni Tropice formæ, quæ & lib. iv de Emend. & in Isag. Can. longissimis, & odiosis ambagibus impeditur, evoluta est ibidem, vanitatique convicta.

Gregoriani Calendarii artificium delibatur in quinto V. Libet volumine: cum id agat præcipue, ut quæ contra ipsum opponuntur à Scaligero nulla esse, vel imbecilla demonstraret. Sextus ei liber succedet; in quo recondita quæ VII. Libet, neque passim intellecta temporum doctrinæ principia complexi sumus: quibus Aureorum numerorum, Epactarum, ac totius denique Calendarii structura continetur, quæ cum ibidem *κατασκευασμένη*, atque ex Arithmetica præsertim regulis tractata sint, id nimirum pars ista nobis ostendit, quod in superiori disputatione posuimus; quemadmodum & Arithmetica subalterna, (sic enim vocant) temporum disciplina sit; & subjectam habeat sibi artem illam, quam Computificam appellant. Hinc porro septimus liber ferè est attributus. Nam VII. Libet præcipui quique computi in eo proponuntur. Sed plus tamen aliquantò quam vulgaris illa computandi peritia proficitur. Nam & mediorum Luna motuum, & Solarium cardinum investigandorum tabulas offert, & earum

PROLEGOMENA:

rum usum, ac methodum docet. quod à simplici computorum artifice non expectes. Et hætenus quidem in hac temporum doctrina progredi oportere plerique sentiunt, præsertim qui ad Chronologiam studia illa sua referunt. Nam verorum, & accuratorem motuum nimis laboriosam, minimèque necessariam esse putant scientiam. Quæ & nos in opinione fuimus aliquando. Sed id fecus habere postea nos experientia ipsa perdocuit. Neque enim complures intervallorum epochæ, quas vocant, sine veris motibus, ac Solis Lunæque deflectionibus asseri, propugnare possunt. ut in posteriore Tomo res ipsa declarabit. Igitur ad superiores septem affectio jam Opere octavam adiecimus, in quo sideris utriusque vera, & exacta ratiocinia: tum eclipsion indagandarum facilis, & exquisita methodus exponitur iis tabulis, quas Parisinas appellavimus. Ex quibus Solares nova quadam ratione conformatae sunt, atque ad veterem illam, & Ptolemaicam, vel Tyconicam potius simplicitatem redactæ. quæ res magnum adjuvamentum afferet tyronibus nostris, quos Prutenicarum, aut etiam Alphonsinarum tabularum, sed illarum imprimis, difficultas absterere solet. Lunarem methodum ex Prutenicis, ac Tyconicis calculis inter se temperatis expressimus. Eclipsion autem investigandarum ratio ex Tyconis abaco desumpta est, quam in rem magno nobis usui Nicolai Mullerii Tabulæ Frisicæ fuerunt. Postremo deliquorum omnium, quæ ante Christum acciderunt, quorum quidem apud antiquos exstat mentio: post Christum verò, præcipuorum calculum Parisinis ex Tabulis accuratè descripsimus. Ardua res omnino, & à paucissimis tentata, sed laborem sefellit utilitatis spes: quod ad munendam stabilendamque Chronologiam peropportunum id esse reipsa deprehendimus. Hæc sunt quæ in priore tomo disputantur. reliqua pro se pars posterior loquetur.

CAPUT VIII.

Qua methodus in hujus lectione operis, adscendæque temporum scientia tenenda sit.

QUI in hujus Operis lectione, temporumque scientia utilem operam navare velit, non ei tam difficilem aditum præbemus, nec ab eo tam multa postulamus, quam in Isagogicorum suorum Canonum initio Scaliger à suis exigit: ut sint omnium ingenuarum artium, ac doctrinarum cognitione perfusi. Nimum hoc quidem est, minimèque necessarium. Quamquam si qui sint ejusmodi, qui hæc disciplinarum adjuncta sibi pepererint, multo illi feliciorum, ac minus diuturnam operam in utroque posituri sint. Sed hoc quia non omnes assequi possunt, sit ille, quisquis ad hæc nostra cum fructu legenda comparare se voluerit, Arithmeticis imprimis in regulis diligenter exercitatus. Vulgares illas dico, quæ sunt pueritæ rudimenta, & à grandioribus tamen hoc sæculo plerumque negliguntur. Accedat deinde celestium rerum intelligentia mediocris: cujusmodi in Sphæricis explicari solet. Ita demum septimum librum hujus Operis attingat; à quo initium omnino legendi facere debet. Est enim Isagoge quadam, quæ scientiæ totius, ac librorum ceterorum elementa continet. Discat inde Solis annos investigare cardines, hoc est æquinoctiorum, Solstitiorumque momenta, quæ ex Parisinis tabulis satis illic accurata colliget. Tum Lunares cum Sole congressus, vel oppositiones, hoc est No-

vilunia, Pleniluniæque computare ex tabulis incipiat, & in utroque diu se, ac multum exerceat. Hinc ad alia se convertat: & Kalendarii tam veteris, quam Gregoriani usum, ac scientiam indidem hauriat. adhibeat unâ Clavii Commentarios, quibus ille Kalendarii artificium omne fusiis, ac subtilius exposuit. Tametsi si quem longioris moræ penitet, poterit nostris illis esse contentus. Postea Ægyptii ac Nabonassaræ anni; nec non Judaici, & Arabici methodum perdiscat, eamque sibi familiarem longiori exercitatione faciat. His præculta ac subactus tyro nos ter priorem ad Operis partem audebit accedere. Sed ad quarti & octavi lectionem adjungenda videtur Theoricorum, ut vocant, Solis ac Lunæ cognitio, quam ex Purbachii, & Rheinoldi libris, atque ex Mullerii Isagoge repetere potest: nisi illa sufficiant, quæ in octavo libavimus. Ex quo item eclipsion putandarum rationem intelliget, ut ad posterioris partis comprehensionem idoneus accedat. qui postremus erit laboris, studique fructus. Quamquam vel magnum ex eo jam ceperit, quod rem unam longè difficillimam, & pulcherrimam norit, deflectionum Lunæ, ac Solis indagandarum viam. cui nos complanandæ, expediendæque Canones, & innumera exempla suppeditavimus. Atque hæc sunt ad institutam à nobis temporum doctrinam penitus capiendam, Operisque lectionem necessaria præsidia. ad Scaligerianam verò, satis illa sunt, quæ in septimo traduntur. Nam *νεκρῶτες*, minisque subtilis est celestium rerum scientia, quam illius libri postulant. Quorum ad notitiam nostri valde utiles erunt: imo verò multo facilius ex his Scaligerianæ doctrinæ mysteria, quam ex auctoribus ipsius commentariis assequetur. Atqui sæpenumerò viros quosdam ingeniosos, & eruditos conquentes audivi, id quod nonnulli editis etiam publicè litteris testati sunt, libros istos Scaligeri, ac totam ejus scientiam perobscuram sibi videri, nec se diuturno cruciati, ac molestia vel mediocriter in illis progredi potuisse. Affirmabant aliqui se, dum viveret Scaliger, ad eum proficisci rei illius gratiâ sæpè agitasse. eo mortuo, ad Sethum Calvisium in Germaniam usque se conferre. quem unum hac ætate crederent doctrinæ istius intelligentem esse. Verum neque tanta in hac re peritæ significatorem ullam Sethus iste Calvisius dedit: qui solas doctrinæ conclusiones, non theoremata, principiæque complexus est in Chronologia sua; quam præcipiti calore magis, quam judicio præter modum ac meritum ornavit Scaliger. neque si auctor ipse superstes foret, quod sum antea professus, aut sua melius, quam à nobis factum est intelligeret, aut explicaret facilius. Habent igitur his in libris magnum laboris, ac sumptus, & itineris compendium ii, qui Scaligeriana ista sic exoscillantur; ut tanta sibi mercede quærendam illorum scientiam putarint. Quò etiam jucundior ipsæ hæc nostra lucubratio debet esse: ex qua duplex ille fructus exister, ut & Scaligeri libros, atque universam doctrinam nullo doctore comprehendant; & ejusdem agniti ac damnatis erroribus, scientiam ipsam temporum, non privati alicujus commenta minoribus impendiis assequantur.

Et quoniam non defuturos arbitror Scaligerianæ doctrinæ patronos, ac memoriæ fautores, qui pro illo contra nos certamen suscipiant. (Nam & propugnandorum ipsius librorum partes dudum sibi aliqui sumpturunt) singulorum capitum titulos adscribam: ut si minus integros nostros commentarios percurrere gratum illis, aut vacuum sit; uno conspectu simul intueri omnia possint, pro quibus, aut contra quæ parati ad disputandum, meditatioque veniant.

CONSPECTUS
PRIORIS PARTIS
OPERIS
DE
DOCTRINA TEMPORUM,
& Summa Capitum omnium.

LIBER PRIMUS.
De Anno populari Græcarum civitatum.

CAP. I. S CALIGERI opinio super anno Græco ex Libro 1 de Emend. Temp. & Isag. Can. Lib. III, cap. VII declaratur. 2	XXI. Declaratur Scaligeri in sua ipsius methodo gravis hallucinatio. 27
II. Elenchus Scaligerianæ doctrinæ, ac primæ Græcæ Tetraeteridis contextus ab eodem confictus excutitur. ibid.	XXII. Expenduntur Veterum testimonia, in quibus Atticæ periodi methodum experitur Scaliger, in isque singulari homini error aperitur. 29
III. Scaligeri in Græcæ Tetraeteride differenda scium, & cum antiquitate confictus. 3	XXIII. Confutantur ea, quæ in editione prima Librorum de Emend. Temp. de Græco, & Attico anno, tum de Tetraeteridibus utrisque à posteriore editione diversa ponuntur. 31
IV. Exponuntur ea, quæ de anno Græcorum tam à veteribus, quam recentioribus quibusdam memoria prodita sunt. 4	XXIV. Explicantur, ac refelluntur omnia, quæ in editione prima contra quam in posteriori, de Atticæ, & Olympicæ periodo disputantur. 33
V. Croilem Græcorum annum ad Lunam directum fuisse. 5	XXV. De Macedonicæ periodo. Scaligeriana doctrina summa ex Lib. 1 de Emend. pag. 45. 34
VI. De anni Græci progressu, & castigatione. 6	XXVI. Elenchus Macedonicarum Scaligeri periodorum, ac primæ contextus illarum universæ refellitur. 35
VII. Illustratur Græcorum annus alter minime croilis, sed reconditus, ac Solaris. 7	XXVII. Refutantur ea, quæ de Solstitiali Macedonum periodo disputantur à Scaligero. 37
VIII. Evertuntur firmamenta omnia, quibus Scaligeriana Græci anti forma commentitia nititur. 8	XXVIII. Altera Macedonum periodus evertitur, quam autumnalem appellat Scaliger. ibid.
IX. De mensibus Atticis. Scaligeri doctrina ex Lib. 1, pag. 28. & Isag. Can. Lib. 1, & III. 12	XXIX. De Macedonicis mensibus, eorundemque serie. 38
X. Discutuntur, ac refelluntur ea, quæ de mensibus Atticis perperam docentur à Scaligero. 13	XXX. Expenduntur loca quadam Veterum, quibus abutitur Scaliger. 39
XI. De recta mensium Atticorum serie. 14	XXXI. De Bithynicæ periodo, confutantur ea, quæ à Scaligero conficta sunt. 40
XII. Quis anni cardo Atheniensibus potissimum fuerit, quisque mensium situs in anno Juliano, ac de embolimo mense. 15	XXXII. De periodo Pythicæ Delphorum. Scaligeri doctrina pag. 50. 41
XIII. De Olympica periodo. Summa Scaligeriana doctrina Lib. 1 de Emend. pag. 35. & Isag. Can. Lib. 1, cap. VII, & Lib. III, cap. VI. 16	XXXIII. Elenchus Scaligerianæ doctrinæ de periodo Pythicæ, de Isthmis, & Nemeis obiter nonnulla. ibid.
XIV. Elenchus Scaligerianæ doctrinæ, ac primæ Olympicæ periodi structura commentitia refellitur. 17	XXXIV. De Thebanæ periodo. Scaligeriana signumta refutantur, ex Lib. 1 de Emend. pag. 52. 42
XV. Refelluntur momenta rationum omnia, quibus confictam illam periodum adstruxit Scaliger. 18	XXXV. De periodo Syracusanæ. Scaligeriana doctrina refellitur, ex Lib. 1, pag. 54. 43
XVI. Excutitur absurda Tetraeteridum ratio à Scaligero conficta. 20	XXXVI. De periodo Laconicæ. Scaligeriana commenta discussa, ex Lib. 1, pag. 55. 44
XVII. De Tetraeteride & periodo Atticæ. Scaligeri doctrina Lib. 1 de Emend. pag. 40, & Lib. 1 Isag. Can. cap. VII, & Lib. III, cap. VII. ibid.	XXXVII. De periodo Samiorum. Lib. 1 de Emend. cap. 56. ibid.
XVIII. Evertitur commentitia Tetraeteridis Atticæ constructio. 22	XXXVIII. De anno Græco Herodoti; ejusque Scripioris auctoritas à Scaligeri calumnia vindicatur, ex Lib. 1, pag. 57. 45
XIX. Periodi Atticæ structura universæ refellitur. 25	
XX. Nonnulla proponuntur, quæ ad Atticæ, & Olympicæ periodi contextum pertinent: ut ex eis Scaligeri error appareat. 26	